

aquilonem degentibus conquirenda magno cum sumptu curas ; sed etiam Græcorum numerosa opera conuertenda in latinum sermonem percenses. Idque tanto cum desiderio agis ut breui pauci uix libri insignes restent linguæ illius qui latine legi non possint. O rem perutilem et summo pontifice dignam ! Hæc enim ut homines eruditos omnique barbarie perpurgatos reddere potest, ita etiam humaniores iustioresque reddat necesse est. Hæc tuas bibliothecas, summe princeps, non paucis quibusdam Iudeorum libellis, ut de Ptholæmeo <sup>1</sup> Philadelpho scribitur, sed plurimis amplissimisque Græcorum codicibus gentis nobilissime omnique litterarum genere præstantissime facit pleniore. Quocirca ratione optima bibliothecas istas quæ tantum luminis afferant linguæ latinæ, tantumque utilitatis præsentent hominibus, thesauros longe meliores illis existimari oportet, quos pontifices quosdam semper custodisse, modoque colchidici illius draconis, absque ulla utilitate super eis assidue inuigilasse accepimus. Quæ cum ita sint, te iure optimo fundatorem quietis auctoremque aurei cuiusdam sæculi non solum Quirites, uerum etiam omnes Europæ incolæ appellant et summis laudibus extollunt, et honoribus perinde ac Deum in terris alterum prosequuntur. Sed hæc quanquam plenius explicare magnopere cupio, clementissime princeps, tamen Theophrasti opus, quod mihi interpretandum decreueras, me iam ad se trahit ut inspicere a te celerius possit. Quapropter de his alias latius, uti debeo, referre pro uirili mea conabor.

Nunc Theophrasti libros de Plantis fronte hilari, pro tua solita humanitate, accipies : quos, credo, traduci a me iusseras, non quod me satis id facere posse putaueris (parum enim ea in re me ualere tu minime ignoras), sed ut hominem græcum latine dicentem aliquando audires. Nouitas enim rei non nihil delectationis afferre quoque in genere potest. Mihi tamen res adeo meas uires excedere uisa est ut, nisi pro lege tuam uoluntatem firmissime mihi statuerem, facile hercle recusassem quæ bene expedire non possem. Cæterum tua iussa tantum apud me ualent ut quantulum ego summo cum labore

---

1. Il y a *phtholæmeo* dans l'original.

